

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Oratio De Ortu, Vitae Curriculum Et Beata ex his terris migratione Reverendi viri Pietate, Eruditione, Sapientia & rerum usu praestantis Christophori Binderi Abbatis Adelbergensis

Hermann, Christoph

Tübingae, 1597

IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-131212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131212)

VIII.

EPITAPHIVM.

Hic situs est Præsul sincero pectore CHRISTVM,
 Viuida qui vitæ per sua fata TVLIT.
 Vimine concordi Templumq; Scolamq; LIGAVIT,
 Diuinas plantans Relligionis opes.
 Consilio totum iuuat prudente Ducatum
 Semper, & hunc facili fouit vbique prece.
 Iam vitâ functus CHRISTI gestatur in ulnis,
 Vt CHRISTVM vitâ præditus ante TVLIT.
 Ergo viator, abi felici percite gressu,
 CHRISTOPHORVS CHRISTO viuit ouatq; svo.

*M. Laurentius Frisæus,
 S.S. Theolog. Stud.*

EPITAPHIA

A

Defuncti Nepotibus, pietatis ergò,
 posita.

IX.

In ἀνώνυμον quendam calumniatorem.

BInderū dicunt homines, vel reprobus olim,
 Calvinus qualis, Nestoriusque fuit.
 Nusquā tuta fides, quid enim nisi vera fateri,
 Aequum: virtuti nam comes inuidia est.
 O mihi si tales liceat perstringere versu,
 Te carmen tangat, perfide Momie meum,
 Inuidiam ast quid sponte cano: iam desinet isthæc.
 Deroget an laudi turba maligna viri?

K

Nun-

Nunquam se tali tellus iactabit alumno,
 Cur? Candor, pietas falce resecta iacent.
 Heu pietas, heu prisca fides, veneranda senecta,
 O mihi contingat, rumpere fata eadem.
 I decus, î nostrum, coelestia gaudia sume:
 Sic Domino placuit: non equidem inuideo.
 Tu Binderus eris rumpantur ut ilia Codrò,
 Et vertat liuor viscera Mome tibi.

*M. Christophorus Binderus, Ros-
 veldensis SS. Theolog. studiosus
 Nepos.*

X.

Heu quàm nostra nimium est dubia alea vita?
 Quamq; breuis variat sapius hora vices?
 Heu heu triste malum subitò fert fama per auras,
 Heu inopina senis nuncia mortis Aui.
 His moritur terris, qui spes, qui solus Asylum;
 Postquam quinq; videt denaq; lustra senex.
 Heu infesta dies multas dedit una querelas;
 Vna mihi multi causa doloris erat.
 Nunc venerande iaces, Aue Mi? nunc flebile funus?
 Nunc sine voce caput, linguaq; muta tua est?
 Iam sine te; sine Patre procul; sine Matre relinquer?
 Heu oculi tristes nil nisi triste vident.
 Sed quid sic nimio iuuat indulgere dolori?
 Flebilibus lachrymis quem reuocamus humo?
 Non mors longeuè venit immatura senecta:
 Mors miserâ hac cunctos debita sorte necat.
 Nunc inuenta quies; longi nunc meta laboris:
 Sèpè optata modum fecit in orbe seni.

Post-